



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris Theologi Architectura Christiana

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

3. Dei, vt Principis Architecti Ædificatio est necessaria exstruendum in
Anima Domum Sapientiae & virtutu[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

ARTICVLVS III.

DEI PRINCIPIS ARCHITECTI

*Ædificatio necessaria est, ad extruendum in Animâ
Domum Sapientia, & Virtutum.*

VERUMENIMVERO non excidat vnquam magni Regis effatum illud: *Nisi Dominus ædificaverit Domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam*: ac proinde quilibet sibi persuadeat, non posse ullum mortaliū in anima vel suâ, vel alterius, ædificare Domum DEI, quæ fundatur credendo. sperando erigitur, proficitur diligendo, ut pronunciat Augustinus *Serm. xii. de ver. Apost.* absque illo, qui primarius est *Architectus*, & qui ædificat principaliter Ecclesiam Christus. *Matthæi xvi.* Et sine quo nihil possumus, *Joannis v. ne cogitare quidem*; cum omnia sufficientia ab illo sit, secundæ ad *Corinth. tertio.* Hanc Domum, inquit idem Augustinus: *lib. xvii. de Civi. Cap. 12. nos ædificare, benè vivendo, & DEVM, ut benè vivamus, opitulando.* Origenes quoque *lib. iii. Periarch. cap. ii. & in Epist. ad Rom. cap. 9.* seridè monet scire debere homines, quod quæcunque ædificantur sine DEO, vanè ædificari, & in omnibus, quæ benè ædificantur, DEVM auctorem esse: non idcirco tamen debere fideles ab ædificando cessare.

EST autem *Domus DEI*, quam ædificat, & per se, & nobiscum DEUS, tam ampla, ut *Innocentius Papa iii. Sermone secundo de Communi Apostol.* explicans istum versiculum *Psalmi. cxxvi. nominet Civitatem Regis Regum,* quam distinguit in *Celestem Ecclesiæ triumphantium, Terrestrem Militantium, Spiritualem Animæ fidelis, & Corporalem miserabilis Jerosolymæ:* multa que habet, de fundamento, muris, turribus, propugnaculis, portis ad *Architecturam spectantia, quæ suo loco, in tempore considerabimus.*